

sed solum iudicat de convenientia, vel disconvenientia ejus sicut brutum, scilicet de convenientia determinata ad appetitum, vel passionem, non discernendo indifferentiam ejus.

LVII. Cujus manifestum signum est, quia toto impetu, et conatu, et impulsu fertur in opus propositum, nec moderatur, et temperat se ex arbitrio, et propria deliberatione, sed sicut brutum ex terrore aliquo, aut minis; ergo non iudicat de convenientia illa secundum indifferentiam, et moderamen rationis: latet ergo aliquid in amente, aut ebrio, seu ubi incipit actus non esse liber, nempe aliqua indifferentia objecti, unde movebatur ad moderandum, et arbitrandum, et sic aliquid amplius apparet quando objectum cum sua indifferentia proponitur, quam sine illa (quidquid sit an hoc sufficiat mutare essentialiter objectum in esse objecti, an solum accidentaliter) et sic mutatur objectum, ejusque propositio, et manifestatio, quando indifferenter proponitur, et quando sine indifferentia; ergo etiam mutatur actus.

LVIII. Quod vero dicitur advertentiam, et iudicium solum se habere ut inspectionem quamdam actus vel objecti, et hoc solum ponere extrinsecam denominationem in actu ut dicatur liber, dicimus quod ex illa cognitione, et advertentia solum resultat in re cognita denominatio quædam extrinseca, et consequenter si actus voluntatis sit cognitus per illum actum intellectus, tantum ex hac parte resultabit in illo denominatio extrinseca cogniti. Cæterum non facit hoc solum actus ille intellectus, sed potius proponit objectum, quod specificet, et regulet actum ipsum voluntatis, et sic necesse est quod in actu voluntatis resultet realis tendentia, et ordo ad objectum illud. Unde in iudicio, et

apprehensione intellectus non solum debet considerari quid talis apprehensio operetur circa rem a se cognitam (certum est enim quod in illa non relinquit nisi denominationem extrinsecam) sed debet considerari etiam quod ibi proponitur objectum voluntati, quod est specificativum ejus, neque voluntas tendit, et respicit objectum nisi ut propositum in illa apprehensione, et iudicio, et cum realiter respiciat, quia transcendentalem ordinem habet actus ad objectum, sequitur quod ad objectum sic apprehensum realis ordo detur.

LIX. Ad secundam probationem confirmationis hujus respondetur, cum dicitur quod regulæ rationis sunt extrinsecæ actibus, distinguo; extrinsece objective, transeat; extrinsece denominative, nego. Habere se autem extrinsece objective ad aliquem actum, seu ex parte objecti se tenere, non ponit in ipso actu solam denominationem extrinsecam, sed realem ordinem ad tale objectum, quia objectum principium specificativum est, et terminativum actus. Et sic non se habet sicut dextrum, vel sinistrum in columna, quia columna non se habet respectu animalis, a quo denominatur dextra vel sinistra sicut actus ad objectum, sed solum intervenit ibi situatio, et positio columnæ juxta partem animalis, et illa positio extrinseca est ad partem dexteram animalis. Nec obstat, quod regulæ istæ rationis dependeant a voluntate tollentis, vel ponentis legem, et ab aliis respectibus rationis; jam enim multis exemplis ostendimus posse realem actum voluntatis, vel intellectus attingere reali sua tendentia objectum affectum privationibus, aut respectibus rationis, vel etiam ipsos respectus rationis, aut chimeram ipsam, et res fictas attingentem; ergo et objectum ab

aliquo tali respectu dependentem.

LX. Quod si quæras, quodnam sit fundamentum istius respectus et ordinis, qui assignatur in actu erga objectum, quia non videtur assignari aliud quam ipsa libertas actus, et sic non potest excludi libertas a ratione formali moralitatis.

LXI. Respondetur quod potius si est fundamentum non erit ipsa ratio, et formalis ordo moralitatis. Sed veritas est, quod libertas non est fundamentum moralitatis quatenus præcise respicit voluntatem a qua est ut a principio indifferenti, et libero, sed quatenus capax mensurationis per directionem humanam, seu rationem, id est, quatenus aptum illi fini, quem ponit, et mensurat ipsa ratio: sicut lignum non est fundamentum, et materia formæ artificiosæ quatenus præcise est generabile a principiis naturalibus, et fit arbor, sed ut capax subordinationis ad regulas artis, et aptum ad finem talis artis: sicut ferrum non quia nascitur naturaliter in mineralibus, sed quia ex sua duritia aptum est ad scindendum subordinatur regulis artis facientis ex illa materia securim, aut gladium. Nam etiam si aliter generaretur, quam in minerabilibus si esset æque durum serviret pro gladio. Sic voluntatis actus non præcise quia est a voluntate ut a potentia indifferenti, sed quia aptus est dirigi ad finem rationis, et ad ejus regulationem est capax, et præbet fundamentum moralitati, hoc est ordinationi rationis. Nec ista relatio aliud exigit fundamentum, quia non est prædicamentalis, sed transcendentalis ordo in ipso actu erga objectum.

LXII. Ad fundamentum Cajetani supra tactum, quo probat hunc modum moralitatis esse absolutum, quia est operativus in aliquibus, respondetur quod dato hoc, quod sit

operativus quatenus invenitur in ipso habitu, qui in virtute, et in actu primo inclinatur ad producendum actum moralem, tamen hoc ad summum probat modum illum non esse puram relationem prædicamentalem, quæ operativa non est; non tamen ostendit non esse transcendentalem, quæ est ipsa habitudo actus, vel habitus ad objectum, et ad operationem.

LXIII. Quomodo autem moralitas ista, quæ accidentaliter est actui considerato in esse naturæ contrahat ipsum, et constituat speciem in genere actus voluntatis dicemus articulo sequenti, ubi utramque bonitatem, et naturalem, et moralem comparabimus.

## ARTICULUS II.

*Utrum bene assignentur principia moralitatis a Divo Thoma?*

I. Tria assignavit D. Thomas moralitatis principia; scilicet objectum, circumstantiæ, finis, quæ principia explicavit articulo II, III et IV. Præsupponunt autem ista moralitatis principia naturalem, et entitativam bonitatem actus super quam cadunt tamquam super materiam; sicut artefactum supponit naturalem entitatem ligni, et lapidis, ex qua tamquam ex materia efformatur artefactum. Unde concludens in articulo quarto doctrinam præcedentium articulorum, sic inquit: « Igitur in actione humana quadruplex bonitas considerari potest. Una quidem secundum genus prout scilicet est actio, quia quantum habet de actione, et entitate, tantum habet de bonitate ut dictum est. Alia vero secundum speciem, quæ accipitur secundum objectum convenientis. Tertia secundum circumstantias quasi secundum accidentia quæ

dam. Quarta vero secundum finem quasi secundum habitudinem ad bonitatis causam. » Quibus verbis D. Thomas universa principia comprehendit, ex quibus moralitas desumi potest; et ideo sigillatim ista principia explicanda sunt tam in hoc articulo quam in sequenti. Prius tamen est explicanda bonitas, quam habet actus in genere naturæ, et quomodo cum morali bonitate, vel malitia comparetur, ex quo dependet videre quomodo istæ morales differentie contrahant ipsum actum, et entitatem ejus in genere naturæ; an vero istæ species se habeant in diversa linea: sicut in artefactis alia est species in linea, et ordine artificiali, ut quod ex metallo fiat vas per modum scyphi, vel per modum ollæ: alia est species ipsorum metallorum ut quod fiat ex argento, vel ex ære, etc. Et licet artificialis linea accidentaliter se habeat ad materiam in entitate, et genere naturæ, tamen in qualibet linea est suum genus, et suæ species diversæ. An hoc modo se habeat genus morale sicut artefactum, et genus entitatis actus voluntarii, sicut materia in artificialibus videndum est.

QUID SIT BONITAS NATURÆ; ET QUOMODO SE HABEAT AD MORALITATEM?

II. Prima bonitas actuum humanorum, quam numerat D. Thomas inter illa quatuor principia pertinet ad genus naturæ, ut communiter intelligunt interpretes D. Thomæ in articulo I et IV, quæst. XVIII. Et ipsa D. Thomas verba satis significant, dum inquit: « Quod quantum habet actio de entitate, tantum habet de bonitate. » Nihil autem aliud pertinere potest ad genus naturæ, et ad bonitatem naturalem, nisi ipsa entitas actus in qua consideratur na-

tura physica talis actus, antequam consideretur regulatio, et mensuratio ejus ad rationem et ad legem. Quæ physica natura quid sit in ipso actu, statim explicabimus.

III. Nec obstat, quod aliqui dicunt etiam in ista entitate imbibi moralitatem aliquam, quia nullus actus, quantumcumque majus, talis est, quod non remaneat in eo aliquid moralitatis bonæ, seu conformitatis ad rationem, alias omnia peccata essent paria, si privarent omni bono morali, quia tunc esset privatio in facto esse. Et deinde, quia substantia actus respicit Deum ut ultimum finem, et ad illum dirigitur, quæ directio aliquid morale est.

IV. Sed respondetur in primis dato toto hoc, non tolli quod in ipso actu detur bonitas naturalis condistincta a morali, quantumcumque enim non possit in re separari naturalis entitas actus ab omni moralitate bona, seu conformitate ad rationem, revera tamen actus ille entitatem habet cum bonitate transcendentali, sicut omnia alia entia, quæ bonitas transcendentalis distincta est a bonitate morali saltem in formalitate diversæ lineæ, et ordinis. Et oportet nomine entitatis actus intelligere D. Thomam id quod pertinet ad genus naturæ, quando dicit: « Quod tantum habet de bonitate quantum de entitate, » eo quod bonitas ad entitatem consecuta, transcendentalis bonitas est et ad lineam physicæ bonitatis pertinet, non ad lineam moralitatis, quæ superaddita est entitati transcendentali, alias in omni re inveniretur, licet cum illa identificari possit inadæquate, et ut aliquid minus, et inferius sicut modi essendi per se et in alio identificantur cum ente.

V. Sed tamen (ut infra latius dicemus sequenti disputatione) veritas est quod in actu malo, et pecca-

minos non remanet bonitas aliqua moralis formaliter, et in actu, quia tota destruitur, et dissolvitur a malitia opposita; nec enim manent duæ species, altera boni, altera mali in genere morali, sed una solum. Remanet tamen aliquid de bonitate morali, et conformitate ad rationem radicaliter, et virtualiter, et in hoc datur latitudo, et major vel minor elongatio a ratione, ex quo peccata habent non esse paria: sicut in ægritudine, certum est quod ægritudo in ea parte in qua est, non relinquit aliquam sanitatem formalem, quia hæc non compatitur cum ægritudine, non enim potest esse sanum, quod in se est ægrum, sic enim recedit a sano, et privat illo; neque ex hoc dicuntur ægritudines inæquales, quia aliquid relinquunt de sanitate sibi opposita formaliter, sed per respectum ad principium vitæ, et ad ejus oppositum, quod est mors, secundum quod ab illo magis elongantur, et ad istam accedunt, dicuntur graviores, vel minus graves infirmitates. Sic peccata, quæ sunt animi ægritudines, dicuntur magis vel minus graviora, non quia aliquid de virtute, et bono morali formaliter relinquunt, sed quia de ipso principio vitæ rationalis, quod est lumen rationis, et syndæresis, plus vel minus relinquunt, id est, magis vel minus occultent, aut obumbrent, quamvis nunquam possint totaliter extinguere, quod esset mors rationis. De quo amplius dicemus infra circa quæstionem LXXIII, art. I.

VI. Quod vero entitas actus ad finem ultimum qui est Deus, ordinatur, hæc ordinatio non est formaliter moralis, sed illa generalis seu transcendentalis, quæ est in omnibus rebus creatis, et reperitur etiam in lapide, et ligno; quia hoc ipso quod dependent a Deo in genere causæ efficientis, dependent etiam

THEOLOGIA V.

ab ipso in genere causæ finalis, quia propter se ipsum Deus operatus est omnia.

VII. Sed inquires duo. Primum, quid pertineat in actu morali ad genus naturæ, et quid hoc nomine veniat intelligendum: secundum, quare D. Thomas hanc bonitatem actionis entitativam appellet genus ad bonitatem moralem, cum revera genus non sit sed subjectum, si quidem non est in eadem linea moralitatis, quæ sit essentialiter contrahibilis per illas differentias morales, sed potius moralitates istæ se habeant accidentaliter ad actum consideratum in genere naturæ.

VIII. Ad primum respondetur nomine entitatis et generis naturæ intelligi in actu morali omnia illa prædicata, quæ actus habet ex principio naturali a quo egreditur physice, scilicet a voluntate, sicut ad esse morale pertinet quidquid habet ex principio regulante, et commensurante ipsum cum regulis rationis, sicut si in artefacto ex ligno, verbi gratia, in cathedra, aut vase inquiramus, quid ibi pertineat ad entitatem physicam, et ad genus naturæ, quid ad lineam, et genus artificiale. Dicemus, ad lineam physicam, et naturæ pertinere quidquid habet illud artefactum ex principiis naturalibus, a quibus processit in quantum lignum, et in quantum arbor, scilicet per physicam generationem, et egressionem; ad genus vero, et lineam artefacti pertinere quidquid habet lignum illud ex ordinatione, et regulatione artis. Sic in genere morali dicemus ad physicam entitatem actus, et genus naturæ pertinere quidquid habet actus ex principio a quo naturaliter, et physice egreditur; ad lineam autem, et genus moralitatis quidquid ex ordinatione, et commensuratione ad regulas rationis habet.

IX. Igitur ad entitatem actus,

et ad physicam ejus essentiam secundum genus naturæ pertinet in primis, quod sit qualitas quædam vitalis, et immanens emanans a voluntate (actus si ejus est) quod sit per modum inclinationis, et ponderis si sit volitio, aut fugæ si nolitio: vel quod sit intellectualitatis, et cognitionis si sit intellectus: quod respiciat bonum, et appetibile sub præcisa ratione appetibilis, et boni si sit actus voluntatis; vel intelligibilis, et veri si sit actus intellectus, et consequenter quod sit actus liber vel necessarius juxta conditiones potentiae, et modi quo ab illa procedit. Totum hoc pertinet ad actum in ratione physica, et secundum genus naturæ, eo quod omnes istas conditiones participat a suo principio elicitive a quo physice, et efficienter procedit. Unde etiam in actu peccaminoso omnes illas Deus producit, cum tamen non producat, neque concurrat nisi ad id quod entitativum, et physicum est in tali actu. Et quia actus non elicivitur physice a potentia, nisi in ordine ad objectum circa quod versatur, etiam in istis physicis, et entitativis prædicatis secundum quæ procedit a potentia libera, respicit similiter in objecto id quod ad talem ordinem naturæ, et voluntatis spectat, scilicet quod versetur circa bonum appetibile, et indifferens, si sit objectum actus liberi. Hoc enim totum habet actus voluntarius, etiam quæcumque regulatione legis, et prudentiæ, vel rationis semota.

X. Respectus autem, et ordo moralitatis, sive bonæ, sive malæ est respectus ipsiusmet actus ad objectum, non præcise sub ratione appetibilis, et ut terminat actum voluntatis sub ratione volibilis, quod pertinet etiam ad entitatem ipsius actus, sed sub ratione regulabilis a ratione. Qui respectus sub hac formalitate supponit totam entitatem

actus, et prædicata ejus physica, et respectum ad objectum sub ratione voliti, vel appetibilis, et superaddit attingentiam ipsius sub ratione regulabilis, quæ tamen attingentia, et respectus non est alius entitative ab ipso ordine transcendentali actus ad objectum appetibile, sed solum addit novam formalitatem, ut attingat objectum sub ratione regulabilis, eo quod ille respectus attingens transcendentaliter objectum, potens est attingere totum quod invenit in objecto ad suam sphaeram pertinens; sed ut attingit præcise sub ratione appetibilis, sic pertinet ad actum secundum id quod physicum, et entitativum est, puta quod sit actus voluntatis potius quam intellectus, aut sit actus amoris potius quam odii, fugæ, vel prosecutionis. Ut autem attingit in ipso objecto ordinem, et mensuram rationis sic est moralis, et speciem genusque morale constituit, vel potius actum ipsum in linea morali ponit. Nec tamen ordo iste, et linea moralis habet contrahere actum, vel habitum prout est in linea, et genere physico, seu entitativo, sed solum contrahit actum in quantum humanum ut sic, et differentiae morales boni, et mali per se contrahunt actum ut humanum, non ut physicum, stat enim actum in genere physico esse ejusdem rationis, et in genere morali diversum: sicut velle mulierem propriam, vel alienam est ejusdem speciei in esse physico, diversæ autem in morali. E contra vero potest esse diversæ speciei physicæ ut amor, et odium, et ejusdem speciei moralis, ut in charitate velle Deum, et odio habere peccatum. Videatur D. Thomas quæst. ii de malo, art. iv, in corpore, ubi hoc late tractat. Plura etiam dicemus infra disp. xi, art. i.

XI. Ad secundum dicitur, quod illa bonitas quam habet actus ut actio, vel ut ens non est bonitas moralis,

Unde dicit S. Thomas quæst. ii de malo citata, in fine corporis: «Quod actus humanus in quantum actus nondum habet rationem boni, vel mali moralis, nisi aliquid addatur ad speciem contrahens, licet etiam ex hoc ipso quod est actus humanus, et ulterius ex hoc quod est ens habeat aliquam rationem boni, sed non hujus boni moralis, quod est secundum rationem.» Quare actio secundum id quod habet de actu, et de entitate, non dicitur genus pro linea morali sumendo genus stricte pro genere logico, et prædicabili, sed pro genere quasi artificiali, et physico sicut materia in artificialibus habet rationem generis pro artefactis, nec tamen prædicatur de artefactis ipsa materia, verbi gratia, lignum ut est naturale ens quasi genus logicum ejus, cum sint in diversa linea, sed lignum ut artificiose ordinabile, seu ut subjectum ordinationi, et regulis artis, sic est genus specierum artificialium. Eodem modo actus secundum physicam bonitatem, et entitatem actus non est genus prædicabile de speciebus moralibus, sed actus ut humanus ut sic, et subjectus regulis moris, sic est genus propriæ, et prædicabiliter ad species morales.

XII. Quod si instes, hoc nihil aliud esse, quam dicere, quod actus simpliciter loquendo est subjectum moralitatis, non autem genus, sicut non possumus dicere, quod corpus absolute sit genus albi et nigri; sed subjectum, licet corpus ut coloratum sit genus albi et nigri, cum tamen de actibus moralibus aliter judicandum sit, quia non accidentaliter contrahuntur per differentias morales, ut patet in habitibus; habitus enim virtutis, et vitii essentialiter dividunt rationem habitus, non accidentaliter, nec sicut species artificiales, quæ accidentaliter dividunt lignum, non essentialiter. Unde

habitus temperantiæ, vel intemperantiæ in genere morali contracti, et specificati non sunt unum artificiose, et ordine quodam, sed unum entitative, et essentialiter, id est, una species contracta, sicut virtus intellectualis una est, et reliqui habitus, et potentiæ simpliciter unitatem habent, et non artificiose tantum.

XIII. Respondetur hoc non esse inconveniens, quod actus secundum physicam entitatem præcise consideratus sit subjectum, et materia moralitatis, quia se habet ut quid regulandum ab ordine, et regulis rationis, et ita moralitas ista, seu regulatio accidentaliter comparatur ad actum illum entitative consideratum, sed solum actus ille ut humanus, et ut ordinabilis a ratione sic intrat lineam moralem, et habet se ut genus ad differentias morales, quod enim actus sit vitalis, immanens, spiritualis, per modum impulsus liber, etc. Subjective tantum, et materialiter comparatur ad moralitatem, licet hæc sit formalitas quædam identificata cum ipso respectu transcendentali actus ad objectum, accidentaliter tamen se habens ad formalitatem actus ut in genere physico consideratur: sicut in eadem visione tendentia ad coloratum ut coloratum est etiam tendentia ad quantitatem, motum, et figuram colorati, licet hæc accidentaliter se habeant ad ipsam rationem visibilis, et visionis.

XIV. Quod vero dicitur de habitibus virtutis et vitii, eodem modo respondetur sicut de actibus, quod habent pro genere proprio, et prædicabili habitum ut humanum, et moralem, non ut præcise entitativum: quod enim habitus sit qualitas per modum virtutis, et actus primi, spiritualis, voluntaria, id est, ad voluntatem pertinens, inclinatus ad amandum, vel fugiendum, totum